Q. D. B. V.

SYSTEMA COPERNICANVM SCRIPTVRAE SACRAE NON ESSE OPPOSITVM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, RELIQVA

PRAESIDE
IO. BERNHARDO WIDEBVRGIO
MATHEMATVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ALVMNORVM DVCALIVM INSPECTORE
PATRONO ET PRAECEPTORE MAXIMA REVERENTIA COLENDO

DEMONSTRAT
ET
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
AD DIEM SEPT. CIϽ IϽ CC XXIV. (1724)
ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR
IO. CHRISTOPHORVS HAYNISCH
VARISCVS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS,

SVMME REVERENDO

GOTHOFREDO LINDNERO,

IN DYNASTIA SCHLAIZENSI ECCLESIÆ CHRISTI

SVPERINTENDENTI, CONCIONATORI AVLICO

SCHOLAEQVE INSPECTORI LONGE

GRAVISSIMO,

ET

CONSVLTISSIMO

IOANNI CHRISTOPHORO STEINBERGERO,

IN DYNASTIA SCHLAIZENSI CONSILIARIO AVLICO,

SVMMO PRAEFECTO CENSVVMQVE DIRECTORI

LONGE MERITISSIMO,

PATRONIS MEIS AETERNVM COLENDIS,

OMNIMODAM SALVTEM APPRECOR

I. C. HAYNISCH.

OFfero hasce exiguas VOBIS, VIRI EXCELLENTISSIMI, quibus plurima debeo, paginas, ut gratum meum animum quoddammodo significem, nam temerarius omnino essem si parem referre posse gratiam cogitarem. Deinde quoque ad has conscribendas non tam me impulit libido meum exercendi ingenium, quam continua & trita quæstio num ea, quæ Philosophi de universi, & in illo contentorum, ordine & dispositione tradunt, conueniant cum iis quæ in codice sacro passim de eadem re inspersa legimus? Fateor quidem dari qui huic quæstioni satisfacere voluerint, & libros in hunc finem, quos & ex parte allegavi, composuerint, ut nimirum quæstioni huic vel negativam vel affirmativam sententiam reddiderint, quos posteriores maxime laudandos esse censeo; sed, si dicendum quod res est, alii confuse & prolixe, alii superstitiose, alii minus moderate hac de re egere, alii sapienter, sed vix illorum scripta apud nos habentur. Breuiter igitur & simul ex rei veritate huic quæstioni respondere annisus sum; num finem assecutus sim exoptatum VOS, VIRI EXCELLENTISSIMI, omnium optime judicabitis, qui inter negotia grauissima nec ea, quæ sanam concernunt Philosophiam, mittitis. Si qua minus recte exequutus sim condonetis quæso erranti, certi animum tamen VOBIS consecratum mihi nunquam ad dies vitæ esse defuturum. Valete felicissime & favete. Ienæ d. 16. Septembr. A. C. N. A. 1724.

Definit.

Q. D. B. V.

Definitio.

§. 1. SYſtema mundi vocatur certa hujus univerſi diſpoſitio, ex qua ſitus & motus corporum cœleſtium demonſtrantur.

Schol.

§. 2. Mundi vocabulum aliquando pro terra; aliquando pro complexu plurium corporum cœleſtium, quæ commune aliquod centrum reſpiciunt; aliquando pro cœlo univerſo, cum omnibus corporibus contentis, accipitur, quæ poſterior acceptio & hic locum habet.

Axioma.

§. 3. Optimum Syſtema haberi debet quod via incedit breviſſima, ex ſe phænomena cœli, facillima ratione, cognoſci ſinit, & denique omnia per cauſſas declarat.

Schol.

§. 4. Intellectus noſter in vita communi quodvis eo perfectius judicat, quo paucioribus & ſimplicioribus mediis aliquid efficit. Sic machina, quæ paucioribus rotis inſtructa, eundem motum producit qui ab altera, magis compoſita, proficiſcitur, perfectior hac vocatur. Quidni igitur ita in condendo mundo Deum egiſſe putemus, ut nimirum viam brevisſimam, in edendis variis naturæ

effectibus, elegerit? Et nisi hoc concedatur infirmi homines essemus Deo sapientiores, quod blasphemum.

Observ.

§. 5. Corpora cœlestia sunt vel lucida, ut sol & stellæ fixæ, vel opaca, ut terra & planetæ reliqui.

Schol.

§. 6. De solis luce testantur radii universum cœlum illuminantes, nec non specula & vitra caustica; similiter fixarum lumen ex fortiori earundem scintillatione colligitur. Opacitatem vero terræ & planetarum reliquorum eclipses, quas interdum patiuntur, & luminis mutuatitii successiva incrementa & decrementa abunde probant.

Observ.

§. 7. Omnia corpora cœlestia, tam lucida, quam opaca, continuo situm ad verticem nostrum mutant, dum primum in plaga orientali, deinceps meridionali, tandem occidentali apparent.

Observ.

§. 8. Variat etiam successu temporis stellarum distantia a principio Eclipticæ, a quo longius versus ortum removeri deprehenduntur, inæquali tamen velocitate.

Definit.

§. 9. Systema Copernicanum vocamus juxta quod cujusvis corporis lucidi centrum manet immobile, opaca vero circa lucida revolvuntur.

Coroll.

§. 10. Juxta Systema Copernicanum igitur terra quoque in numerum planetarum referenda.

Schol.

§. 11. Copernicanum hoc Systema dicitur quoniam NIC. COPERNICVS Porussus Medicus, egregius Mathema-

thematicus, & ſimul, ut RICCIOLVS auctor eſt, Thoruni canonici munere fungens, atque circa initium Seculi XVI. florens, illud ex veterum monumentis in lucem revocavit, & præ cæteris firmis rationibus in libro de revolutionibus orbium cœleſtium PAVLO III Pontifici dedicato, & Norimbergæ 1543 in 4to impreſſo, defendit. Ante illum vero jam nonnulli PYTHAGORÆ diſcipuli hoc Syſtema amplexi ſunt, teſte ARISTOTELE L. II. de Cœlo c. 13 ſcribente ὁι δὲ πυθαγόρειοι λέγουσιν ἐπὶ μὲν τοῦ μέσου πῦρ εἶναι, τήν δε γῆν ἓν τῶν ἄςρων οὖσαν, κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, νύκτα τε καὶ ἡμέραν ποιεῖν. Hos inter eminet PHILOLAVS CROTONIATA, florens ante Chriſtum annis 430, & ARISTARCHVS SAMIVS, florens ante Chriſtum annis 280. Et quod vel aliis veterum hoc Syſtema non ignotum fuerit, patet ex eo quod PLVTARCHVS in NVMA refert vitarum parallelarum ex Ed. Francof. p. 67. Νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑςίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέςῳ περὶ φρουράν. ἀπομιμούμενος ὀυ τὸ σχῆμα τῆς γῆς ὡς Ἑςίας οὔσης, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου, ὃυ μέσον ὁι πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἵδρυσθαι νομίζουσι, καὶ τοῦτο Ἑςίαν καλοῦσιν καὶ μονάδα. Τὴν δὲ γῆν, οὔτε ἀκίνητον, οὔτε ἐν μέσῳ τῆς περιφορᾶς ὄυσαν, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ αἰωρουμένην οὔτε τῶν τιμιωτάτων, ὄυτε τῶν πραγμάτων τοῦ κόσμου μορίων ὑπάρχειν. PLATONEM quoque idem auctor in partes trahit ταῦτα δὲ, inquiens, καὶ πλάτωνα φασὶ πρεσβύτην γενόμενον διανενοῆσθαι περὶ τῆς γῆς, ὡς ἐν ἑτέρᾳ χώρᾳ καθεςώσης, τὴν δὲ μέσην καὶ κυριωτάτην ἑτέρῳ τινὶ κρείττονι προσήκουσαν. Et medio ævo CVSANVS Cardinalis Germanus idem Syſtema ſecutus eſt. Poſt COPERNICVM ejus ſyſtema profeſſi ſunt MOESTHLINVS, KEPLERVS in Epitome Aſtronomiæ, GALILÆVS in Dialogis ſuis de Syſtemate Coſmico, quanquam hoc illi male ceſſerit, & ille palinodiam

canere coactus ſit Romæ coram inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut infra pluribus dicam. Nec GASSENDVS alienus erat a COPERNICI ſententia in inſtitutione aſtronomica, licet in epiſtola de motu impreſſo, fulmen Pontificis metuens, illam iterum deſeruiſſe videatur. Denique CARTESIVS, LANDSBERGII, BLAEV, HEVELIVS & alii innumeri fere Copernicanum Syſtema introduxere, ut veriſſime hodierno die affirmare liceat quæ KEPLERVS jam ſua ætate in Epitome Aſtronomiæ Lib. I. p. 140. profeſſus eſt: Hodierno tempore præſtantisſimi quique philoſophorum & aſtronomorum COPERNICO adſtipulantur, ſecta eſt hæc glacies, vicimus ſuffragiis melioribus, cæteris pene ſola obſtat ſuperſtitio, aut metus a cleanthibus. Catalogum aſtronomorum, qui copernicano Syſtemati ſubſcripſerunt, exhibet LIPSTORPIVS in Copernico redivivo. p. 17.

Schol. 2.

§. 12. Haud ſatis fuit recentioribus aſtrorum ſcrutatoribus COPERNICI inhærere hypotheſibus, ſed ſitus motusque corporum cœleſtium plenius exponere, earundemque cauſſas naturales, diverſa licet ratione, demonſtrare conati ſunt. Eminet inter eos REN. CARTESIVS, qui in principiis Philoſophicis declaravit motus ſyderum per vortices cœleſtes, it. IOH. KEPLERVS, qui in Epitome Aſtronomiæ Lib. IV. eosdem motus produci ſtatuit per radios ſolis, quibus, tanquam vectibus, ſidera in cœlo protrudantur. Nec non ISAACVS NEWTONVS, qui in principiis philoſophiæ naturalis mathematicis, ex legibus mechanicis, per vim centripetam & centrifugam, corporibus mundanis in prima ſtatim creatione impreſſam, eorundem motus ellipticos demonſtravit. Præcipua itaque ſyſtematis copernicani, quod a ſanioribus hodie Philoſophis defenditur, fundamenta ſunt ſequentia.

Axio-

Axiom.

§. 13. Tot mundi exiſtunt, quot ſunt corpora in cœlo lucida.

§. 14. In medio cujusvis mundi corpus lucidum conſiſtit, ut lucem atque calorem undiquaque diffundere poſſit.

§. 15. Circa corpus quodcunque lucidum moventur opaca nonnulla motu elliptico. Sic in noſtro mundo ſol hæret in medio & circa ſolem moventur ☿ ♀ ♁ ♂ ♃ ♄.

§. 16. Quemadmodum circa Saturnum quinque moventur ſatellites, ſydera Ludoviciana dicta a CASSINO, & circa Iovem quatuor, ſydera Medicea a GALILAEO appellata, ſic terram comitis inſtar ambit luna.

§. 17. Singulæ ſtellæ, tam lucidæ, quam opacæ, continuo circa proprios axes ab occaſu in ortum rotantur, ut harum ſingulæ partes ſucceſſive a ſole illuminentur & calore foveantur.

§. 18. Dum terra noſtra circa ſolem movetur, axis ejus ita libratur, ut axi mundano parallelus exiſtat.

§. 19. Motus terræ circa ſolem æquatorem cœleſtem ſucceſſive in diverſis punctis ſecat, quæ interſectionum puncta usque longius in occaſum promoventur, adeoque cum ſtellis fixis magis magisque recedunt.

§. 20. Singulæ terræ ſunt habitabiles, quia omnes a ſolis radiis calorificis illuſtrantur, & juxta obſervationes aſtronomorum ratione opacitatis, materiæ heterogeneæ, aſperitatis in ſuperficie, figuræ & reliquis apparentibus phænomenis, noſtræ telluri ſunt ſimillimæ.

§. 21. Inhabitantur autem a creaturis tam rationalibus quam irrationalibus, quarum illæ ſolæ ſunt aptæ ad gloriam Dei, in quam condita ſunt omnia, amplificandam, hæ vero in illarum uſus cedunt.

Schol.

§. 22. Si hoc Syſtema conferatur cum reliquis, quæ tum vetuſtiſſimi ſapientiæ heroes, tum recentioris ævi aſtronomi pro demonſtrandis motibus ſyderum, finxerunt, manifeſtiſſimum eſt, iſtud his multis nominibus eſſe præferendum. Primum enim incedit via longe breviori, dum corpora opaca ſolum circa lucida lento gradu moveri ſtatuit, cum juxta reliqua omnia ſydera, tam lucida, quam opaca, rapidiſſimo motu, qui omnem cogitationem noſtram tranſcendit, circumferantur. Deinde omnia ſic explicat ut de nulla re quidquam prædicet, quod illi non ſecundum naturæ leges competat. Denique ſingula cœli phænomena per cauſſas declarat, ea etiam, quæ ex reliquis ſyſtematibus phyſice explicari nequeunt, ut ſunt planetarum ſtationes & retrogradationes, macularum ſolarium motus menſtrui varietates annuæ, Saturni figuræ apparentis admirandæ viciſſitudines & ſimilia; ut hinc facile demonſtrari queat Syſtema Copernicanum eſſe optimum §. 3. CLERICUS quidem in Phyſicæ L. I. c. 3 difficultatem, ut ipſe loqui amat, haud enodandam contra hoc Syſtema proponit, ſed dudum ab aliis ut opinor, ea remota eſt, ut mihi nec adeo hæc, nec ſimiles ab aliis motæ controverſiæ, hic ullam faciant remoram. Nec mihi in præſentiarum eſt animus ſyſtematis Copernicani veritatem &, quam habet præ reliquis omnibus, eminentiam, pro dignitate, demonſtrare, ſed hoc volo, ut evincam quod cum ſacris litteris commode poſſit conciliari.

Definit.

§. 23. Scriptura S. eſt verbum Dei, a ſcriptoribus divinitus inſpiratis litteris conſignatum, & ad ſalutem æternam impetrandam homines erudiens.

Coroll.

Coroll. 1.

§. 24. Est itaque Scriptura S. in omnium hominum gratiam consignata.

Coroll. 2.

§. 25. Objectum Scripturæ S. non sunt res philosophicæ, sed divinæ ad salutem cognitu necessariæ.

Coroll. 3.

§. 26. Finis Scripturæ S. est homines erudire ad salutem, neutiquam vero, docere sapientiam humanam.

Schol.

§. 27. Finem Scripturæ S. PAVLVS recenset 2.Tim. III, 16.17. Rom. XV, 4. 2. Cor. II, 6.7. Ioh. XX, 31. Sed de rebus naturalibus ECCLESIASTES dicit c. III, 10. Vidi occupationem quam tradidit Deus filiis hominum, ut" occupent se in ea. Hinc nec MOSI, in omni sapientia" Ægyptiorum erudito Act. VII, 22, fuit permissum quicquam Pentateucho inspergere quod istam sapiat; Sed ea solum in enarranda creationis historia tradidit, quæ sensibus sunt obvia, & proximum ad terram nostram habent respectum. Nec SALOMO rex, in rebus naturalibus peritissimus 1. Reg. IV, 32 scriptis suis, in canonem relatis, naturalium explicationes & demonstrationem inseruit.

Coroll.

§. 28. Ergo nec Scriptura omnes usus & fines, in quos condita sunt corpora mundana, recenset.

Definit.

§. 29. Conceptus rei distinctus est accurata ejusdem cognitio per caussas, eandem rem constituentes.

Coroll.

§. 30. Hinc facile colligendum perpaucos homines sibi conceptus de rebus distinctos formare, utpote ad-

quos

quos impetrandos multum ſtudii requiritur, & ſolos Philoſophos illis, licet non in omnibus rebus naturalibus, gaudere, qui, ſi ſermo ſit de orbis hujus ſyſtemate, quaſi his terris evolant, univerſi ſpatia pervagantur, & accurate conſiderant.

Theorema.

§. 31. Syſtema Copernicanum conceptum diſtinctum de hoc univerſo exhibet.

Demonſtratio.

In Syſtemate Copernicano omnia cœli phænomena per cauſſas demonſtrantur §. 22. E. exhibet conceptus diſtinctos & ſufficientes apparentiarum cœleſtium §. 29.

Definit.

§. 32. Conceptus rei confuſus ſ. hiſtoricus vocatur cognitio ejusdem, prout ſenſibus & imaginatione comprehenditur.

Schol.

§. 33. Hujusmodi conceptum fere omnes homines, in ſuſtentanda miſera vita & colligendis terræ bonis plerumque occupati, de rebus exiſtentibus habent, ſiquidem diſtinctum aſſequi nec poſſint, nec velint. Imo ex parte illos excuſandos eſſe putarem, quoniam duri labores, multiplicesque vitæ artes, illis omne otium meditandi, & cauſſas rerum inveſtigandi adimunt. Et quamvis, exceptis Philoſophis, quidam dentur qui velint res ſcrutari; non tamen linguam, ad impuram loquelam & errores plurimorum i. e. vulgi accommodatam, aptam vident ad ſenſa animi exprimenda, & ita deſperant.

Coroll.

§. 34. Conceptus rei hiſtoricus eandem haud raro aliter animo repræſentat, quam exiſtit; nititur enim ſenſuum

ſuum judicio, ſenſus vero ſæpiſſime falli, præcipue circa objecta quæ ipſis propria non ſunt, quotidiana docet experientia. Et quo communior eſt ſenſus eo ampliorem reliquis præjudiciorum præbet ſegetem. Terra enim multis plana videtur, licet rotunda ſit; mare in altum aſſurgere, cum ex oppoſito deſcendat; cœlum ſtellatum terræ incumbere, cum infinitis intervallis inde diſtet.

Schol.

§. 35. Tametſi conceptus hiſtoricus cum re ipſa non conveniat, neutiquam tamen error appellandus eſt, ſed rectius veritas generalis, vulgaris, opinio audit, quia apparentiæ rei conformis eſt. Hinc nec ſermo, qui hujusmodi conceptum in mente gignit, mendacium vocandus, quoniam non profertur voluntate fallendi, ſed ut alter alterum in hac vitæ neceſſitate intelligat. Ipſi enim aſtronomi talibus phraſibus, rerum apparentiam tantum ſignantibus, aliquando uti coguntur, quales ſunt ſolem aſcendere, deſcendere, eclipſin pati, Mercurium vel Venerem Solem ingredi & ſimiles.

Theorema.

§. 36. Scriptura ſ. de rebus philoſophicis & in ſpecie naturalibus, quæ revelatione non indigent, non exhibet conceptus diſtinctos.

Demonſtr.

Scriptura ſ. in omnium hominum gratiam conſignata eſt §. 24. perpauci homines conceptus diſtinctos de rebus mundanis ſibi formare poſſunt §. 30, nec iſtæ ſub objecto Sciptura ſ. continentur §. 25. E. Scriptura de rebus mundanis non exhibet conceptus diſtinctos. Q. E. D.

Theorema.

§. 37. Scriptura ſ. res philoſophicas ſecundum conceptus hiſtoricos enarrat.

Demonstr.

Omnes fere homines de rebus mundanis conceptus solum historicos habent §. 33 Nec vult scriptura eos sapientiam humanam docere §. 26 E. & ipsa conceptus historicos de rebus mundanis exhibet Q. E. D.

Schol. 1.

§. 38. Cum sit res facti exemplis luculentissime confirmari poterit. Quantumvis autem innumera adduci possint, & ab aliis quoque observata sint, tamen ob harum paginarum angustiam aliquot saltem enumerasse sufficiat. Sic dicitur *1. Psalm. XXIV. 2. Deum fundasse terram* על ימים ועל נהרות, æque ac si terra nostra aquis ceu fundamento insisteret & illis innataret. Quod & AVGVSTINVS animadvertit scribens L. II. c. 1. „de Genesi ad litt. Psalm. 135. Quocirca nec ad litteram „quisquam potest sic intelligere quod dictum est : Fun„davit terram super aquas ut aquarum pondus terreno „ponderi supportando naturali ordine quasi subjectum esse „videatur.

2. *Ps. CIII. 11. valere gratiam Dei quantum altitudo cœli super terram.* At hic ex opinione vulgi supponitur cœli altitudinem esse infinitam, quæ tamen materiæ, ex qua constat cœlum, haud quaquam competit.

3. *Amos IX. 6. Deum extruere in cœlis cœnacula sua, & cuneum suum super terram fundare*, quæ accurate de Deo tanquam spiritu dici non possunt.

4. *Ies. XIII. 5. cœlum habere extremitates*, quod fit secundum apparentiam, alias enim deficeret cœlum in horizonte, terræ inniteretur & impediret ulterius profecturos.

5. *Iob. XXVI. 11. cœli dari fundamenta*, quæ si conferas 2. Sam. XXII. 8. Ps. XVIII. 8. sunt terra & speciatim

montes

montes ejus, quod ſane ſatis vulgariter dictum, ac ſi cœlum montibus, ut olim fabulabantur, Atlanti, incumberet. Non multum ab hiſce differt locus *Iob. XXVI. 7. quod Deus extendat aquilonem* i.e. partem cœli borealem ſuper inane & terram ſuper nihilum, i.e. aerem, in quo & perquam vulgariter & ſecundum viſum äer nihil vocatur.

6. *Act.XXVII.27. terram* *προσάγειν* fallacia viſus, vere enim navis appropinquabat terræ.

7. *Pſ.XXIV. 4. Matth. VI. 21. Proverb. XV. 14. VII.7. cor ſedem animæ eſſe*, per metonymiam continentis pro contento, quod ſecundum opinionem, dum præcipue & ſemper cor movetur, fit. Medici enim jamdudum obſervarunt ut teſtatur LEMNIVS in Nat. miraculis L. I. c. 11. in cerebro potius, in quo omnes corporis nervi concurrunt, &, ſi male ſe habeat, præcipui animæ morbi percipiuntur, jure animæ ſedem ſtatuendam eſſe. Conſentit fere cum hiſce PHIL. MELANCHTON in libello de anima.

8. *Proverb. XXX. 19. eſſe* עלמה quæ tamen erat mulier ſcortans. Alias hæc vox ordinarie in ſacris litteris denotat virginem illibatam, quod valde urgendum contra Iudæos ob locum Ieſ. VII. hic vero talem quæ, licet ſit mulier ſcortans, ſe virginem jactat, & quoque a plurimis ignaris pro tali habetur.

9. *Luc. V. 4. mare eſſe altius littoribus ſuis*, quod tamen revera ita ſe non habet, ſed ſenſibus tantum apparet.

10. *1. Cor. XI. 14. naturam docere quod viro comatum eſſe dedecori ſit*, ſed iterum hoc æſtimandum ex moribus & opinione Græcorum atque Iudæorum qui pilum non alebant. Qui enim poſſet comatum eſſe naturæ adverſari, cum natura pilum producat? Dantur & gentes qui crines alere longos nullum putavere dedecus.

11, 1. Reg.

11. *1. Reg. VII. 23. & 2. Chron. IV. 2. proportionem, qui intercedit diametrum circuli & circumferentiam ejusdem, æqualem esse 10 : 30 seu 1 : 3* quæ minus exacta est, cum juxta geometriam eadem proxime sit æqualis 100 : 314.

12. *Ps. LVIII. 5. aspidem surdam obturare aurem suam*, quod & idem secundum hominum opinionem asseritur, naturalium enim scrutatores innumeris observationibus aspidem aurem non obturare evincunt.

13. *Iobi XXXVII. 9. 17. & Proverb. XXV. 23. plagis septentrionali & australi, nec non ventis inde spirantibus, singulares tribuendas esse proprietates*, quæ tamen non universaliter iisdem plagis conveniunt, quoniam una eademque plaga, quæ respectu unius observatoris est australis respectu alterius est borealis & contra.

Schol. 2.

§. 39. Imo quis nescit Scripturam, perspicuitatis amantissimam, aliquando de iis etiam rebus quæ ad religionem, licet non proxime, spectant, conceptus vulgares exhibere. Fit hoc inter alia

α. omnibus iis in locis inquibus dicitur: *Deum omnia brachiis suis efficere, in cœlo habitare, de cœlo spectare, alis ventorum insidere, cœlo descendere, irasci, pœnitere hujus vel illius, quæ prædicata* omnia conceptu vulgari ita exprimuntur.

β. *2. Cor. IV. 4.* ubi legitur *Diabolum Deum esse hujus seculi*, quod iterum putative intelligendum, scilicet juxta opinionem impiorum. Idem & observandum si idola gentilium in Scriptura s. passim Dii appellantur, sed secundum perversam quorundam opinionem.

γ. 1. Sam. XXVIII. 12. ubi *Dæmon ille Sauli visus Samuel fuisse statuitur*, sed apparenter, quoniam Diabolus se *Samuelem* simulabat.

δ. *Hebr.*

δ. *Hebr. VII. 3. ubi Melchisedecus est* ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, sed probabiliter tantum, quoniam Apostolo non revelatum erat nomen Patris & matris *Melchisedeci*. Parentibus enim prout homo vere destitutus fuisse minime censendus est.

ε. Conferantur Ierem. XXVIII. 1. Tit. I. 12. Deut. XIIX. 11. 2. Sam. XVI. 10. 11. Exod. IX. 12. Matth. XIX. 16.

Coroll.

§. 40. Incassum laborant qui res philosophicas maxime naturales ex revelatione demonstrare conati sunt.

Schol. 1.

§. 41. Fecit hoc AVGVST. PFEIFFERVS qui conscripsit Pansophiam Mosaicam, ubi plurima Scripturæ S. dicta tam anxie compilavit & ad disciplinas philosophicas applicavit. Eadem methodo philosophandi usus est ALSTEDIVS in triumpho Biblico. Physicas quoque sacras composuerunt DANAEVS, ZANCHIVS, CASMANNVS, VALESIVS sed quid de his sentiendum, videatur in VERVLAMII libro de augmentis scientiarum, dicentis libro ultimo: Verum istiusmodi homines non id as-" sequuntur quod volunt; Neque enim honorem ut putant" Scripturis deferunt, sed easdem potius deprimunt & pol-" luunt. Et magnus Ecclesiæ nostræ Theologus alicubi scribit: Falluntur maximopere qui humanarum artium &" scientiarum principia & fundamenta in sacro codice" quærunt.

Schol. 2.

§. 42. Equidem *Ioh. XVI. 13.* Salvator de Spiritu veritatis dicit: *ducet vos in omnem veritatem*, sed ipse contextus docet, sermonem esse de veritate cœlesti Evangelii, per universum orbem propagandi. In hoc instructu-

rus erat Spiritus S. diſcipulos Christi, non in veritatibus philoſophicis. Sic & ſtatuendum de *Pſalmo XII. 7.* ubi verba Dei pura denotant, ut ſæpiſſime in ſacris litteris fit, revelationem, ſic ſe habentem, ne fallat homines aut in perniciem ducat, ut hominum ſermo, ſæpe eo tendens ut aliis noceat. Et hoc veriſſimum. In rebus naturalibus vero loquitur Scriptura S. ſecundum veritatem generalem. Hoc WITTICHIVS in conſenſu veritatis Phyſicæ cum Scriptnra S. concinne illuſtrat ſimili quodam, quod nimirum Scriptura S. ſe eo usque demittat ad homines ut pater ad infantes, loquens & balbutiens ſecundum illorum captum, licet ſciat formulas non accurate quadrare veritati & tantum ex relatione ſui ad infantes proferri.

Definit.

§. 43. Oppoſita ſibi invicem dicuntur quæ de eodem ſubjecto, in æqualibus circumſtantiis, aliquid affirmant & negant.

Schol.

§. 44. ARISTOTELES περὶ ἑρμηνείας c. 6. λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τὴν τȣ̃ αὐτȣ̃, κατὰ τȣ̃ αὐτȣ̃, μὴ ὁμωνύμως. conf. eiusdem Elench. ſophiſt. L. II. c. 5. Sic oppoſitæ ſibi invicem ſunt theſes: Sol, in ſolſtitio æſtivo viſus, borealibus terræ incolis diem longiſſimum conſtituit, & Sol, in ſolſtitio æſtivo viſus, borealibus terræ incolis diem longiſſimum non conſtituit.

Theorema.

§. 45. Scripturam S. & Syſtema Copernicanum nulla intercedit oppoſitio.

Demonſtr.

Scriptura S. conceptum hiſtoricum de phænominis cœleſtibus exhibet §. 37. Syſtema Copern. vero ſufficientem

tem & distinctum §. 31. E. Scriptura S. & Systema Copernicanum in enarratione phænomenorum cœlestium sibi invicem non opponuntur §. 43. Q. E. D.

Schol.

§. 46. Agitata fuit hæc controversia num Scriptura S. cum Systemate Copernicano conciliari possit siue non? superiori potissimum seculo, quo plurimi viri cordati solertissimique naturæ scrutatores hujus Systematis hypotheses publice defendere cœperunt, quorum conatus nullibi magis quam in Ecclesia Romana acerbissimam censuram experti sunt; partim quod summus Pontifex sibi soli vindicaret Scripturæ S. interpretationem, partim quod ipse & universum Collegium sacrum Cardinalium non saperent ultra sensus, nec solida siderum cognitione essent imbuti. Præ cæteris fulmine papali concussus est *Galilæus de Galilæis* qui anno ætatis 70. coram eminentissimis Cardinalibus dogmata Copernicana abjurare coactus est. Ipsum vero systema Copernicanum a sacra congregatione Cardinalium, a Paulo V. deputata, ad indicem librorum prohibitorum damnabatur, quod renovatum ex mandato Urbani VIII an. 1633. Pluribus de his videatur RICCIOLVS in Almagesto Novo T. I. P. II. p. 497. seq. Sed antea quoque, nimirum an. 1615, jàm P. ANT. FOSCARINVS in Epistola ad SEBAST. FANTONVM Generalem ordinis Carmelitarum hypothesin Copernicanam cum Scriptura S. conciliarat, quæ epistola Neapoli Italice impressa. Non longe post LIB. FROMONDVS (quamvis & antea D. GERH. de NEVFVILLE Prof. Bremensis & CHRIST. CLAVIVS Hypothesin Copernicanam confutasse dicantur in PASCHII inventis novo antiquis p. 520.) Theologus Lovaniensis scribebat suum Anti Aristarchum, sive orbem terrarum immobi-

mobi-

mobilem (anno 1631.) in quo PHILIPPI LANDSBERGII commentationem in motum terræ diurnum & annuum refutare conabatur, quam & MORINUS Parisiensis Mathematicus oppugnabat. His vero statim sese opponebat IACOBUS LANDSBERGIUS Medicus in Apologia pro commentatione PHIL. LANDSBERGII Patris sui in motum terræ diurnum & annuum, adversus LIBERTUM FROMONDUM Theol. Lovaniensem & IO. BAPTISTAM MORINUM Mathematicum Parisiensem, Middelburgi anno 1633. Responsionem FROMONDUS non differebat sed anno post 1634. edebat in lucem Vestam sive Anti Aristarchi vindicem, adversus IACOBUM LANDSBERGIUM medicum Middelburgensem. Circa idem tempus, nisi me omnia fallunt, & ALEXANDER ROSA librum de motu terræ contra LANDSBERGIUM emisit. At hunc non minus quam illum aliquot post annos refutavit vir celeberrimus IOH. WILKINS, Episcopus Chesteri in Anglia, in Copernico defenso, a celeberr. DOPPELMATERO in linguam germanicam translato Lipsiæ 1713. Nec hic solus est inter reformatæ ecclesiæ theologos qui huic liti se immiscuit. Cum enim undique circa medium seculi XVII CARTESII vortices, & ita etiam terræ circa solem motus censerentur, ejus caussam suscipiebat IO. CHRISTOPHORUS WITTICHIUS Professor theologiæ Herbornæ, scribens binas dissertationes priorem de Scripturæ S. in rebus philosophicis abusu, alteram de vera quiete & vero motu terræ. Hæ impugnatæ per dissertationes quasdam ex academia Ultrajectina inscriptas: de auctoritate, veritate & infallibili fide Scripturæ S. in rebus philosophicis, auctoribus iis qui respondentium vices sustinuerant. In his insimulabatur WITTICIUS quod studuerit infringere

auctori-

auctoritatem & veritatem accuratam Scripturæ S. Quibus respondit VVITTICHIVS in Dissertatione de stilo S. Scripturæ an. 1656. Attigerat quædam contra hanc sententiam a reformato Theologo DV BOIS allata in dialogo theologico astronomico, eaque modeste refutaverat. Qua de re ille motus ira scribebat librum cui titulus: Veritas & auctoritas sacra in naturalibus & astronomicis. Sumebat sibi & PETRVS VAN MASTRICHT D. Theologiæ VVITTICHIVM refutare in vindiciis suis veritatis & auctoritatis Scripturæ S. in rebus philosophicis quæ prodierunt Ultrajecti 1655 cum approbatione facultatis theologicæ Ultrajectinæ; nec non IOH. HERBINIVS in examine theologico phisosophico famosæ de solis & telluris motu controversiæ. VVITTICHIVS interea novam dissertationum suarum, jam memoratarum, procurabat editionem, quibus addebat quædam ad repellendos dictos adversarios. Titulus hujus dissertationum collectionis erat: Consensus veritatis in Scriptura S. revelatæ cum veritate philosophica Neomagi 1659. Antea vero belgice prodierat: Naeder Bevvys dat noch de leere van der Sonne Stillstandt en des aerdrycks bevveging &c. strydigh syn met Godesvvoordt, tegens IAC. DV BOIS; ut & IRENÆI PHILALETHI scriptum de verstrickte Astronomus IAC. DV BOIS. Tandem an. 1682 PETRVS MEGERLINVS emisit Systema mundi Copernicanum Amstelod. in quo æque ac alii illud cum Scriptura S. conciliat. Nominat & PASCHIVS l. c. anonymum quendam qui idem præstiterit. Silentio prætereo reliqua scripta quæ vel pro convenientia Scripturæ S. cum Systemate Copernicano vel contra consensum talem exarata sunt, qualia aliquot in hac regione lingua germanica lucem aspexere.

Theorema.

§. 47. Pluralitas mundorum in Syſtemate Copernicano non adverſatur Scripturæ S.

Demonſtr.

In Syſtemate Copernicano vocabulum mundi accipitur pro complexu planetarum qui circa unum corpus lucidum moventur §. 2. & 13 ſeq. In Scriptura S. idem vocabulum vel pro terra vel pro univerſo cœlo & corporibus contentis ſumitur; E. hypotheſis Copernicana plures dari mundos, non eſt oppoſita Scripturæ unius ſolum mundi mentionem facientis §. 42.

Schol.

§. 48. Si vocabulum mundi ſumitur in ſenſu generali pro univerſis rebus creatis non poſſunt eſſe plures quam unicus mundus, quod nec Syſtemati Copernicano contradicit. At ſi pro ſola terra accipitur, minus propria ejus eſt acceptio, cum pars ſumatur pro toto. Quidquid ergo de aliqua re improprie ſic dicta aſſeritur non poteſt adverſari aſſerto quod rem proprie ſic dictam reſpicit. Quoniam vero ſcopus Scripturæ S. non eſt homines res naturales & philoſophicas docere §. 26, nec diviſionis totius univerſi in varios mundos uſpiam mentionem fecit. Multo minus a ſilentio Scripturæ S. argumentari licet ad negationem ejusmodi diſpoſitionis univerſi, dum nec planetarum diſtincta in Scripturis fit mentio nec Moſes eosdem Gen. I. v. 16 a fixis diſtinguit, quis autem inde concluderet planetas ejusdem eſſe naturæ cum fixis, & ad harum ſimilitudinem fixam ſervare ab invicem diſtantiam?

Axioma.

§. 49. Motum objecti ſentimus quando iſtud ſitum ad verticem noſtrum mutat.

Axio-

Axioma.

§. 50. Motum proprium ſentimus quando membra corporis ope nervorum & muſculorum ex uno in alium locum promoventur.

Coroll.

§. 51. Hinc motum proprium non ſentimus quando corpori mobili inſiſtentes cum illo circumducimur.

Coroll.

§. 52. Quando igitur oculus movetur, & motum proprium non ſentit, omnia circum poſita objecta licet quieſcentia moveri videbuntur, quia ſitum ad verticem mutant §. 49.

Coroll.

§. 53. Objecta vero, quæ cum oculo æque velociter moventur, quieſcere apparebunt, quia ſitum ad verticem non mutant §. 49.

Axioma.

§. 54. Oculus noſter cum globo terraqueo æque velociter movetur.

Axioma.

§. 55. Dum oculus una cum terra circum ducitur motum proprium non ſentit.

Coroll.

§. 56. Hinc nec terræ motum ſentimus quomodocunque etiam moveatur. §. 54. 53.

Coroll.

§. 57. Ergo conceptus hiſtoricus terram motam ſtare repræſentat. §. 32.

Theorema.

§. 58. Motus terræ in Syſtemate Copernicano non eſt oppoſitus ſtationi, quam ipſi tribuit Scriptura S.

 Demon-

Demonstr.

Scriptura S. recenset phænomena terræ juxta conceptum historicum §. 37 juxta quem terra utique quiescit, tametsi moveatur juxta conceptum distinctum quem exhibet Systema Copernicanum §.56 E. si vel maxime Scriptura dicat terram stare, tamen ipsi non contradicit Systema Copernicanum §. 43 Q.E.D.

Schol.

§. 59. Si conferantur ea Scripturæ s. loca in quibus terram stare asseritur, ipse contextus docet, ibi non esse sermonem de quiete telluris, sed duratione ejusdem perenni, vel situ firmo ut ab omni lapsus periculo sit immunis. Ita *Ecclesiastis I. 4.* legitur: *terra autem in æternum stat*, ubi per stationem, ut antecedentia evincunt, nihil aliud significatur, quam terram longum durare, nec tam cito ut miseri & caduci homines evanescere. Ejusdem fere valoris sunt quæ leguntur *Psalm. XCIII. 1.* & *CIV. 5*, quæ tamen FULLERUS in Miscellaneis sacris p. 98. admodum urget, nec non *1. Chron. XVI. 30. Terram* quoque *fundatam esse super bases suas, ne moveat se in seculum & in seculum;* quibus phrasibus denotatur terram per naturalem partium illius gravitatem, quæ singulæ ad commune centrum tendunt, firmiter esse compactam, ut minime nutet nec maribus coincidat, concutiatur aut dissolvatur. Deinde quoque non dimoveri potest, sed in orbita sua, a Deo definita constanter volvitur circa solem, nec ex illa in hanc vel illam partem excidit.

Definitio.

§. 60. Oriri dicimus stellam quando primum in horizonte conspicitur, occidere quando in horizonte disparet.

Axio-

Axioma.

§. 61. Dum terra circa axin proprium gyrat, horizon cujusvis obſervatoris continuo mutatur, aliisque diverſis ſucceſſive partibus cœli & ſtellis admovetur.

Theorema.

§. 62. Quies ſolis in Syſtemate Copernicano non opponitur ortui & occaſui ſolis quem ipſi tribuit Scriptura S.

Demonſtr.

Juxta Syſtema Copernicananum terra continuo circa axin proprium gyrat §. 17. Ergo cujusvis obſervatoris horizon ſucceſſive ſoli admovetur & ab eodem removetur §. 61. Ergo ſol oritur & occidit §. 60, hinc ſtatio ſolis non eſt adverſa Scripturæ, dicenti ſolem oriri & occidere §. 43. Q.E.D.

Schol.

§. 63. Non improprie igitur explicanda ſunt loca Scripturæ *Gen. XIX. 23. Sol egreſſus erat ſuper terram cum Loth pervenit ad Soar*, & *Matth. V. 45. facit ut ſol ſuus oriatur ſuper malos & bonos.* Vere enim ſol ubivis terrarum oritur, dum cujusvis loci horizon ipſi admovetur. Idem judicium eſto de locis *Gen. XV. 12. Eccleſ. I. 5. 6. Jud. XIX. 14.*

Theorema.

§. 64. Quies ſolis in Syſtemate Copernicano non opponitur Scripturæ ſacr. locis, in quibus ſol moueri dicitur.

Demonſtr.

In Syſtemate Copernicano ſol quieſcit §. 14 terra autem movetur §. 15, 17, 18 cujus motus nos ſumus inſcii §. 51. Ergo ſolem moveri videmus §. 52. Scriptura ad ſenſum phænomena terræ recenſet §. 32. 37, ergo, vere dicit ſolem moveri §. 35. Nec motus hic inibi aſſertus oppoſitus eſt quieti, quam Copernicani defendunt §. 43. Q.E.D.

 Schol

Schol.

§. 65. Quando ſcopum & finem quem Spiritus S. in omnibus ejusmodi locis, ubi ſol moveri dicitur, primario intendit, conſideramus, magis ad hunc convenienter explicantur illæ loquutiones ex Syſtemate Copernicano quam ex poſita ſolis quiete. Nam quod attinet

a. *Pſ. XIX. 5. ſeq. Soli poſuit tabernaculum in ipſis. Et ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo, gaudet ut potens ad currendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſio ejus & revolutio ejus usque ad extrema eorum, & non eſt quod abſcondat ſe a calore ejus.* Juxta WITTICHIUM ſupra allegatum ſenſus horum verborum eſt gloriam Dei maxime in orbe noſtro manifeſtari per ſolem, qui quaſi in illo ſingulare haberet domicilium a Deo paratum, in quo ſe recondat & occultet, ita tamen ut mane pulcherrimo ſeſe aſpectu videndum rurſus exhibeat vaſto corpore non abſimilis giganti robuſto, parato tamen ad continuandam ſitus ſui variationem, quæ propter celeritatem cum curſu apparente queat comparari, incipiente ubi ſe terminet noſter imaginarius horizon, & deſinente ad ejus latera oppoſita. Ad litteram enim ſi *Davidis* verba interpreteris, adſcribas oportet ſoli thalamum, ut aliquis ex vulgo, putante ſolem, dum nobis ſubtrahitur, reſpirare & mari tingi juxta Poëtarum figmenta. Ita enim VIRGILIUS canit

„ Tithoni croceum linquens aurora cubile,

Nec minus OVIDIUS:

„ - vigil nitido patefecit ab ortu
„ Purpureas aurora fores, & plena roſarum
„ Atria.

Similiter prædices oportet de ſole lætitiam, quæ tamen in rem inanimatam non cadit. Tandem cœlo quoque extremitates tribuere cogeris. Has difficul-

difficultates cum videret ZIMMERMANNUS, in *Scriptura Copernizante* omnes phrases, de solis motu occurrentes, proprie (quippe de motu solis vertiginis §. 17) explicaturus, ultro fatetur apparenter has loquutiones esse intelligendas. Et revera interpretatio loci juxta Systema Copernicanum magis facit ad scopum Psalmi, qui est evehere sapientiam & omnipotentiam Dei; utraque vero longe melius ex Copernicana mundi dispositione quam reliquis omnibus vulgo traditis elucescit. Cum enim juxta has omnium siderum motus sint irregulares & inordinati, secundum istam admirabilis ordo & motuum æqualitas, & proportionata velocitas deprehenditur, ut non immerito hæc intuentes exclamemus cum Ecclesi. XLIII, 32. Perquam " magnus est Dominus potentiaque ejus admirabilis! "

b. Similiter in toto *Psalmo CIV* Dei sapientia & providentia ex operibus ejusdem demonstratur, quod & solis exemplo illustratur, cui statis temporibus ortus & occasus obtingere videatur, & ea quidem semper certitudine eventus, ut putares hoc corpus se ipsum dirigere. Quicunque enim ea quæ de sole asseruntur, ad litteram intelligeret, cogeretur & phrasin alteram *cognoscere* proprie accipere & soli inepte tribuere.

c. Denique ex contextu etiam perspicitur *Eccles. I. 5, 6* agi de vicissitudine rerum, quæ & in sole animadvertitur, apparente nobis nunc in hac nunc in illa cœli parte. Reliqua enim solis prædicata, hic pariter conceptu communi formata, ut cum sol dicitur locum quendam habere proprium a quo recedat & revertatur, item ad aquilonem flecti, a quo immane quantum dissitus esset, si vel maxime orbiculariter moveretur, de hoc me dubitare non sinunt. Ut adeo VALLESIUS, in *Philosophia* sacra Ecclesiasten allegans,

gans,

gans, non opus habuisset idcirco in COPERNICVM p. 301 „ita invehere: Facessat jam hinc quorundam veterum „sententia & COPERNICI arguties.

Definit.

§. 66. Miraculum est actio insolita contra ordinem naturæ, a Deo O.M. in prima creatione stabilitum, producta.

Coroll.

§. 67. Hinc vera miracula nemo patrare potest nisi auctor naturæ.

Coroll. 2.

§. 68. Miraculum itaque est terræ motum vertiginis ad aliquod tempus sisti vel inverti, ut tendat ab ortu versus occasum. §. 17.

Axioma.

§. 69. Umbra naturaliter sequitur motum opaci.

Coroll.

§. 70. E. miraculum est umbram, quiescente corpore lucido, moveri contra motum opaci. §. 66.

Theorema.

§. 71. Per quietem solis in Systemate Copernicano non tolluntur miracula, quæ in sacris per stationem vel retrogressionem solis facta recensentur.

Demonstratio.

Scriptura phænomena solis recenset juxta conceptum historicum §. 37. Hic vero secundum apparentiam eadem repræsentat §. 32. sed quando solem, qui juxta Systema Copernicanum revera stat §. 24. stare videmus, situm ad verticem nostrum non mutat §. 49. ergo terra non debet motu vertiginis circumvolvi §. 52. quod miraculum est §. 68. Hinc, quando sol juxta scripturæ litteram stetit, juxta Systema Copernicanum contigit miraculum. Q. E. D.

Simi-

Similiter quando ſcriptura innuit ſolem retroceſſiſſe, ſitus ejus ad verticem noſtrum ita mutatus, ut augeretur diſtantia ipſius a vertice ortum verſus §. 49. 37. 32 E. juxta Syſtema Copernicanum terræ motus diurnus eſt inverſus ut volveretur ab ortu verſus occaſum §. 52, ſed hic motus terræ eſt miraculoſus §. 17. 68 E. quando ſcriptura innuit ſolem in cœlo retrogreſſum eſſe juxta Syſtema Copernicanum ingens contigit miraculum Q.E.D.

Schol.

§. 72. Loca Scripturæ in quibus hujusmodi miracula recenſentur inveniuntur *Ioſ. X. 12. 13.* & *Ieſ. XXXVIII. 8.* In priori Ioſua tantum intendebat ut Sol in Horizonte Gabaonitico videretur longius ſolito, quod fieri potuit ſive ſolis motus verus ſive apparens ſiſteretur. At quod vulgariter hanc ſuam intentionem expreſſerit, patet ex contextu in quo dicitur quod ſol fuerit in Gibeone, luna in valle Ajalon, item quod ſol conſtiterit פחצי השמים, quod nec de cœlo univerſo, medium non habente tale, nec de hemiſphærio ejusdem in relatione ejusdem ad Cananæam terram intelligi poteſt. In loco poſteriori verba prophetæ ita ſe habent: *Ecce reverti facio umbram graduum quibus deſcendit in horologio Achaz in ſole retrorſum decem gradibus, reverſusque eſt ſol decem gradibus, quibus jam deſcenderat.* At hic nihil aliud innuitur quam variationem quandam ſitus inſolitam obveniſſe ſoli, ita ut ſol eum receperit ſitum reſpectu ad umbram ſolarem, quem habuerat ante aliquot horas. Et hoc tam per terræ quam ſolis motum contingere potuit. Quod vero τὸ שוב, quod hic ſoli tribuitur, ſecundum apparentiam aſſumendum, clarum eſt ex altero prædicato זרח, quod quidem apparenter ſed non proprie de ſole dici poteſt, licet circulariter moveretur. Nec miraculum minus fuiſſet ſi ad ſententiam VATABLI, PAVLI BVRGENSIS in additione ad LYRAM L. IV. Reg. c. 4. tom. 2. p. 978 It. ARIÆ MONTANI in *Eſaiam,*

ISAA-

ISAACI PEIRERII aliorumque umbra ſolum in horologio *Ahaz* retroceſſerit, continuato interim motu vertiginis terræ verſus ortum §. 70 ſed quia Scriptura expreſſe dicit ſolem ipſum retrogreſſum eſſe ab hac littera non recedendum eſſe exiſtimo.

Axiom.

§. 73. Unius rei plures poſſunt eſſe fines.

Theorema.

§. 74. Hypotheſis Copernicana, corpora planetarum inhabitari a creaturis rationalibus, non pugnat cum Scriptura S. perhibente ſidera eum in finem eſſe condita ut nobis lucendo inſerviant & tempora diſtinguant.

Demonſtr.

Corporum planetarum plures poſſunt eſſe fines §. 73 Scriptura vero omnes eorum uſus non recenſet §. 28 ſed cum ſit in hominum ſalutem conſignata, eos ſolum quos nobis præſtat §. 24 E. non ſunt oppoſita, planetas inhabitari a creaturis & planetas eſſe conditos ut hominibus luceant & tempora diſtinguant. Q. E. D.

Schol. 1.

§. 75. Facere non poſſum quin hic proferam aphoriſmum quem B. NEVMANNVS in ſua Theologia Aphoriſtica p. 224 recentioribus quibusdam, ut loquitur, mathematicis opponit. Ille vero talis eſt: *Orbis inhabitabilis non niſi unus eſt.* Hunc ut demonſtret adducit nusquam commemorare Scripturam S. plures, quod idem eſt, ac ſi diceret Americam non in rerum natura exiſtere, ſiquidem ſacræ litteræ nullam ejus facerent mentionem. Altera ratio, quod omne genus hominum quod habitat in ſuperſicie terræ ex uno ſanguine factum ſit *Act. XVII. 26.* evincit, quod non alius generis homines terram noſtram posſideant ac poſteri Adami, at minime, quod orbis habitabilis tantum unicus ſit. Sed majori admiratione dignum quod ipſe RICCIO-

vs feliciſſimmus Aſtronomus eadem ratione uſus ſit ad negandos lunæ incolas in Almageſto Novo T. I. P. I. L. 4. c. 2.

Schol. 2.

§. 76. Abſit ut quidam oppoſitionem hic eſſe conceſſerint, ut potius Scripturæ cum Syſtemate Copernicano harmoniam probare voluerint. E. g. ex epiſtolæ *Judæ v. 13.* ubi planetæ vocantur corpora opaca juxta §. 15. item ex *Ieſ. XL. 15. 17.* ubi propheta terræ gentes & inſulas pro gutta e ſitula & pro re minutiſſima, imo pro nihilo, æſtimat, quod egregie reſpondet Syſtemati Copernicano in quo univerſa terra pro puncto in relatione ad univerſum habetur §. 13. & 15. Similiter ex *Iob. XXXVIII. 7.* ubi Deus mauifeſtat *Iobo* ſe a ſtellis matutinis laudatum eſſe, quod non poteſt intelligi de inanimatis corporibus ſed, ſi ſecundum Syſtema Copernicanum accipiendum eſt, indicat in hiſce ſtellis, quæ matutinæ, puta Mecurius & Venus, vocantur, habitare creaturas rationales Deum laudantes juxta §. 21.

Schol. 3.

§. 77. Cæterum hic non curamus patrum quorundam interpretationes locorum Scripturæ, quibuscum Syſtema Copernicanum hactenus conciliare anniſus ſum. Siquidem neminem latere poteſt patres in longe gravioris momenti rebus haud raro humani quid paſſos eſſe, de quo teſtantur quorundam eruditorum virorum cenſuræ patrum. Potuiſſet igitur RICCIOLVS, colligens in Almageſto novo T. I. P. II. p. 481. ſeq. patrum teſtimonia pro Hypetheſi Ptolemaica & Tychonica, labore hoc ſuperſedere. Quis enim neſcit LACTANTIVM negaſſe terram eſſe globum rotundum; & AVGVSTINVM inficiatum eſſe dari antipodas, quorum utrumque hodie in aprico poſitnm eſt. Multo minus hic valent quidquam effata Pontificiorum ut ATHANASII KIRCHERI, qui in ſuo magnete p. 485 ed. Col. putat Hypotheſin Coperniacanam eſſe periculoſam in fide; &

MELCH.

MELCH. INCHOFERI e Soc. Iesu in Tractatu Sylleptico scribentis: de fide esse solem moveri circulariter. Quoniam vero ejusmodi scriptores omne de fide esse existimant, quod Pontifex jubet, eorum hac in re testimonia vili pendenda. Mitius tamen est effatum MILLIETI DES CHALES Soc. Iesuit. Theologi in „mundo mathematico p. 287 scribentis: Nisi COPERNICI hy-„pothesis Scripturæ esset contraria divina prorsus appellari pos-„set. Interim Systema illud nemini obtruditur nec quisquam propterea damnatur, quod vel ex imbecillitate ingenii aut superstitione, admirabilem hujus universi ex mente Copernicanorum dispositionem intelligere non possit, aut nolit, sed tali potius suadetur cum summo & felicissimo trium Imperatorum Astronomo KEPLERO in introductione ejusdem ad commentarios de motibus stellæ martis: ut missa schola astronomica, demtis etiam si placet philosophorum placitis, suas res agat, & ab hac peregrinatione mundana desistens domum ad agellum suum excolendum se recipiat, oculisque quibus solis videt, ad hoc aspectabile cœlum sublatis toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur, certus se non minorem Deo cultum præstare, quam astronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perspicacius videat, quæque invenit super iis Deum suum & ipse celebrare possit & velit.